

DE ELEGIIIS IN MAECENATEM MONUMENTIS BIOGRAPHICIS ET HISTORICIS

Curas philologorum de carminibus minoribus sub nomine Vergilii aut Ovidii traditis, de Elegiis in Maecenatem, Ciri, Culice, Consolatione ad Liviam, Aetna, ad certam rationem quaerendi revocare tempus est. syllabus condicionum desideratur, quibus sufficiat oportet carmen quodlibet pseudepigraphon, si genium aetatis ab auctore indicatae esse decreturum. nimirum id quidem saepe contingit, ut indicia temporis in incertorum poetarum opusculis retegantur. at utrum indicia ista documenta vera aetatis, qua auctor scripsit, an ficta sint a rhetoricis scriptoribus argumentum praeteriti temporis ad tractandum sibi sumentibus, id discernere passim difficillimum fit. nempe iam ineunte saeculo primo imperatorio increbuit consuetudo poetarum in schola eruditorum, qua vates magnos Augusteos sic aemulabantur, ut ex persona illorum se loqui simularent.

Ea autem via rem, quam mihi proposui, absolvero, ut primum *Elegias in Maecenatem* interpreter. hoc enim opusculum pro exemplo evidentissimo carminis reapse eo anno scripti habeo, quo scriptum esse indicia temporis se ultro offerentia clamant. quodsi Elegiarum in Maecenatem exemplo edocti circumscripserimus, quas leges strenuas adhiberi oporteat ab examinantibus, utrum indicia temporis oculis incurrentia vera an ficticia sint, facilius cum Elegiis in Maecenatem comparata Cirij, Culicem, Consolationem ad Liviam, Aetnam subditiva opuscula esse apparebit. tribus autem commentatiunculis, titulo distinctis, re cohaerentibus, in cursu fasciculorum Musei Rhenani sese excipientibus, pseudovergilia et pseudoovidiana tractabo, ut syllabus ille paene methodicus constituatur, cuius sub aspectu singulorum carminum auctoritas aetasque definiantur.

De Elegiis in M. nova quaedam me spero dare posse. aliquot locos etiam nunc in obscuro iacentes aut nova ratione interpretabor aut emendabo, simul id agens, ut stilus Augusteus auctoris pateat. praeterea supra Scaligeri acumen, opusculum textu continenti codicibus traditum in duas elegias dirimentis,

in tres divisero. praesertim autem dedita opera illud intendo, Elegias ea aetate, quam prae se ferunt, revera scriptas esse, utpote quae memoriam inauditam suppeditent de vita privata Maecenatis atque etiam de actis publicis, quibus de Caesare meruit.

De prooemio corpusculi trium elegiarum v. 1—12

Prooemio totius opusculi ad omnes tres eclogas spectante poeta annuntiat, se post iuvenem deflectum (i. e. Drusum a. 9 a. Chr. mortuum) Maecenatem (qui a. 8 diem obiit) deflendum sibi proposuisse. quod fecisse ait hortatu Lollii (cos. a. 21 a. Chr.) Maecenati usu intimo iuncti, cum ipsi usus nullus cum Maecenate fuerit. inseritur v. 3 aestimatio Maecenatis longius annoso avo vivere digni, quod argumentum proprium alterius elegiae v. 107—144 est.

De avo paterno Maecenatis annoso

V. 3s. ut iuvenis deflendus enim tam candidus et tam longius annoso vivere dignus avo.

Selecta eruditio huic disticho inest interpretibus prioribus non intellecta. nam poeta avum paternum Maecenatis annosum decessisse exploratum habet. quamquam illud quidem dudum observatum est, avum paternum Maecenatis C. Maecenatem equitem Romanum fuisse a Cicerone, Pro Cluentio 153 s. inter robora populi Romani habitum (cf. Realenc. XIV 209): nec tamen ad hunc avum verbum v. 4 de annoso avo priores traxerunt, sed in mirum errorem inciderunt, receptum quoque ab Ihm, Thes. 1. L. II p. 1611, 78, quo *avum* hoc loco i. q. "hominem senem" generaliter dici voluerunt. at eiusmodi translatio vocabuli *avus* a latinitate abest. contra quod equidem *annosum avum* carminis ad avum paternum Maecenatis refero, Maecenas nepos ipse quoque, amicus Augusti, vitam longissimam sibi optavit tenacem se praestans sortis avitae. nam quos Seneca, Epist. 101, 11 abhorret versus de desiderio spiritus prorogandi Maecen. frg. 1 p. 35 Lunderstedt: "debilem facito manu, debilem pede coxo, tuber adstrue gibberum, lubricos quate dentes; vita dum superest, bene est, hanc mihi vel acuta si sedeam cruce, sustine", hos versus non solum ex imitatione Epicuri, frg. 601 p. 338 Usener explico. immo eosdem pro testimonio idoneo habeo Maecenatis longae-

vitatem ad exemplum avi desiderantis. circa quem avum animus Maecenatis in alia quoque re versabatur, nec fugit doctos. cum Augusti amicus senatorii ordinis honores repudiat decusque equestris ordinis senatorio praefert, avi paterni exemplum sequitur; cf. Realenc. XIV 211, 37 ss. qua in re comparo Propertii verbum ad Maecenatem III 9. 2 "intra fortunam qui cupis esse tuam" cum Cicerone de avo 1. 1. dicente: "ordine suo patrumque suorum contentum fuisse et vitam illam tranquillam et quietam, remotam a procellis invidiarum . . . sequi maluisse." quale in vitae genus reccidit nepos post Caesaris victoriam.

Ut Augustus Suetonio, Aug. 7, 2 teste sibi euthanasian precabatur, ita Maecenas longaevitatem. sermo plurimus in turri Maecenatiana de avo paterno fuisse videtur. qualis iste tranquillitatem animi plura aestimans quam vitam activam, in ordine suo equestri perstiterit vel senex roboris sui conscius, memoria viguit eaque memoria ad Elegiarum auctorem pervenit. nec dubium, unde pervenerit. cum ipse se inter amicos Maecenatis fuisse v. 9 deneget, Lollius consularis intercessit foedere, quod dicit poeta v. 11, cum Maecenate conexus.

Ab hoc Elegiarum testimonio de avo annoso Maecenatis sane procul habendus est Horatius, Serm. I 6, 3 s. de avis fautoris locutus: "quod avus tibi maternus fuit atque paternus, olim qui magnis legionibus imperitarunt." ubi *avi* vox de abavis atavisque usu sollemni adhibetur, nec de Romanis, sed de Tuscis imperatoribus saeculorum priorum verba fiunt.

De Lollio Elegiarum poetae patrono

V. 9 ss. nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici,
Lollius hoc ergo conciliavit opus.
foedus erat vobis nam propter Caesaris arma,
Caesaris et similem propter in arma fidem.

Cuius generis vinculis Lollius poeta iunctus fuerit. dictione *usus amici* in negando usu ipsius cum Maecenate adhibita prodit. passim enim iam apud Augusteos *amici* vox "clientem" significat (cf. Thes. 1. L. I p. 1907, 77 ss), ut iam apud Lucretium I 141 *amicitia* i. q. "clientelam."

Lollium et Maecenatem inter diversas partes aulae Augusteae concordia singulari eminuisse probatur Horatii Carmine IV 9 ad Lollium misso. quo carmine cum Horatius v. 35 s. Lollium secundis temporibus dubisque rectum voca-

vit addiditque v. 44 speciosius quidem quam verius, quamvis per imaginem locutus "explicuit sua victor arma", in restituendo Lollii nomine post cladem Lollianam anni 16 afflicto desudavit. qua de re iam Kiessling-Heinze in commentario Horatiano monuerunt. ceterum Lollio praeter cladem illam etiam labeculas alias aspersas esse ex Velleio II 97, 1 et Plinio, Nat. hist. IX 117 s. discitur. quid igitur est? Maecenatis impulsu Horatius Lollio in tempore adfuit, item atque Elegiarum scriptor ad Maecenatem ab opprobrio desidiae defendendum accessit post mortem eius compellente Lollio, qui materiam defendendi selectam clienti suggessit.

I

Prima elegia, laudatio defuncti v. 13—106

Prima ecloga, etsi divisione rhetorica disposita non est, tamen divisa in quattuor partes arte genuina elegiaca Augusteorum sese excipientes defluit. ethologia moralis Maecenatis tam ad virtutes quam ad artes eius spectans v. 13—38 eclogam ducit. secuntur facta bellica v. 39—48. accedit declamatio copiosa de victore desidiae iusto iure se dedente v. 49—102. epilogus v. 103—106 defensionem Maecenatis ab opprobrio effeminatae desidiae cumulat.

Virtutes Maecenatis

- V. 13 s. regis eras, Etrusce, genus; tu Caesaris almi
dextera, Romanae tu vigil urbis eras.
- V. 21 s. quod discinctus eras, animo(ss)o carpitur unum;
diluis hoc nimia simplicitate tua.
- V. 27 ss. num minus urbis erat custos et Caesaris opses?
num tibi non tutas fecit in urbe vias?
nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?
quis tetigit ferro, durior ipse, latus?
- V. 39 quid faceret defunctus?

De mansuetudine et simplicitate

In ethologia morali duae virtutes efferuntur, mansuetudo v. 13 et simplicitas v. 22. mansuetudine Maecenatis Senecae quoque Epist. 114, 7 laudata defenditur tradita lectio v. 13 *almi* a coniectura Heinsii, *alti* pro *almi* scribentis. nam etiamsi

apud Ovidium, Ex Ponto II 3, 63 et in Cons. ad Liv. 453 *Caesaris alti* legitur, tamen in Elegiis ratione propria epitheton *almus* probatur. quantus rumor Romae de Maecenate Caesarem ad clementiam adhortante fuerit, egregie illustratur narratiuncula a Dione LV 7, 2 relata; qua Maecenas Augusto in tribunali sedenti resque capitales severius tractanti schedulam insinuans inducitur his verbis inscriptam: „surge vero tandem carnifex“. qua lecta subito Caesar surrexit.

Altera virtus v. 22 celebratur simplicitas nimia, ubi *nimius* i. q. „permagnus“ valet ex usu Augusteorum. de toto hoc disticho relego ad Mus Rhen. 89 (1940) p. 238 s., ubi codicum lectione insana *animo quoq.* spreta aliorumque coniecturis ut Buecheleri *Momo quod* reiectis *animosso* reposui. hoc enim adiectivum iam apud Vergilium de homine irritabili usurpatur. ceterum de simplicitatis virtute Mus. Rhen. 90 (1941) p. 269 ss. luculentius disserui a Petronio profectus, ipso quoque propter simplicitatem laudato. ubi de usu peculiari huius termini moralis inde ab aetate Augustea increbescente egi.

De cura urbis extra praefecturas a Maecenate exercita

Inter virtutes Maecenatis etiam cura urbis indefesso labore administrata celebratur v. 14 et 27 ss.; quibus versibus *vigil urbis* et *urbis custos* audit. putes poetam Maecenatem Praefectum vigilum habuisse, qui teste Paulo, Dig. I 15, 3, 1 non modo de incendiariis, sed etiam de effractoribus, furibus, raptoribus cognovit. hanc tamen praefecturam Augustus demum longe post mortem Maecenatis a. 6 p. Chr. ex testimonio Dionis LV 26 instituit. quid igitur est? an deprehenditur poeta in anachronismo, ita ut eum carmen arte rhetorica lustris pluribus post excessum Maecenatis, ac non sub ipso obitu eius panxisse concedendum sit? immo contra habeo rationem sobriam, qua Elegiae purae ab anachronismo evadant. quae tamen ratio non nisi ea cum exceptione stat, si Elegiarum auctor plus aequit de vita Maecenatis quam posteritas vacua a memoria aequae recenti. quid rei sit; accipe. Caesar a. 36 in bello Siculo adversus S. Pompeium Maecenati curam urbis primum in tempus, deinde post devictum Pompeium in perpetuum mandaverat; cf. infra p. 112. illum autem, quae erat auctoritas eius apud principem, etiam per decennia sequentia, quocumque annorum spatio Caesari vel in pace post pugnam Actiacam comes intimus aderat, curae urbis tamquam fiduciarium praefectum se

dedisse vigilibusque urbanis imperavisse ex Elegiis discitur. sic *discinctus* quoque post victoriam Caesaris *vigil et custos urbis* audire poterat, etiamsi de munere sibi a. 36 a Caesare mandato dudum decesserat, atque ad hunc modum vel id declaratur, quo iure poeta Maecenatem v. 14 et 27 custodem urbis vocaverit, idem poeta v. 39 *quid faceret defunctus?* eundem Maecenatem *defunctum*, i. e. interprete me "vacuum a muneribus" appellaverit. nimirum quod priores putarunt v. 39 *defunctus* i. q. "mortuus" valere, cui interpretationi Iachmann quoque, Thes. 1. L. V 1 p. 377, 34 accessit, illud improbo nec recipio Birtii coniecturam *discinctus* pro *defunctus*. immo vero relego ad Eleg. v. 69, ubi Herculem cum puella ludentem alloquitur poeta *multo defuncte labore*, relegoque etiam ad Ovid., Amor. II 9, 24 *defunctum placide vivere tempus erat*. nec nova aut inaudita de ratione singulari profero, qua Maecenas vel extra praefecturas publicas privatus particeps remanserit administrandae urbis. sed audiat Stein, Realenc. XIV 212, 11 ss.: „Die Stellung des Maecenas läßt sich nicht mit den Amtstiteln der Folgezeit benennen. Praefectus urbi war er nicht, . . . und ebensowenig Praefectus praetorio, wie seine Stellung von dem Schol. Bern. Verg. georg. I 2 S. 843 Hagen bezeichnet wird. Vielleicht hat gerade die Unbestimmtheit des Amtes dazu beigetragen, seine Machtfülle ins Ungemessene zu steigern.“ quae officia ad custodiam urbis pertinentia Caesar Maecenati teste Dione IL 16 a. 36 detulerat, ea Augustus post mortem Maecenatis aut quaedam eorum iam superstita eo eodemque suadente ipso in praefecturas certas deinceps convertit.

Restat quaestio difficillima, quomodo v. 27 codicum optimorum lectio editoribus omnibus accepta *opes* interpretanda sit. nam quod per se facile exspectares, ut in dictione *num minus urbis erat custos et Caesaris opes* vox *Caesaris opes* i. q. "vicarius Caesaris" valeret, eius generis usus vocis *opes* adhuc nullo exemplo firmatur. proprium usum vocabuli habes in Augusti obside C. I. L. VI 26 608 (Dessau 846) *Sitalces divi Augusti opes Thracum*. translate autem *opes* passim de eo adhibetur, qui "sponsor" rei alicuius futurae est. at locutio *urbis erat custos et Caesaris opes* vel tum, si *ut* pro et scribitur, tamen molesta remanet. nam desideratur genetivus rei, cuius rei causa Caesar *opsidem* Maecenatem urbanis dederit. quem *sponsorem* *opis* in urbe servandae dici oportuit. breviloquentia igitur prava poeta usus est. qua breviloquentia

irritatus librarius codicis A *opses* in *hospes* (quod passim scribitur *ospes*, cf. Thes. 1. L. VI 3 p. 3020, 6 ss.) mutavisse videtur. nam cum *hospes* Servio, Aen. VIII 532 monente non solum de eo dicatur, qui suscipitur, sed etiam de eo qui suscipit, haud scio an scriba codicis A Suetonii memor fuerit testantis Aug. 72, Augustum, quotiens in aegritudinem incidisset, in domo Maecenatis cubuisse. itaque officiositatem defuncti fortasse per eam gradationem descriptam voluit, ut primum v. 14 et 27 "urbis custos", deinde v. 27 "Caesaris hospes", i. e. Caesaris infirmi tutor, denique v. 28 "tutor civis cuiusvis" Maecenas vocaretur.

Artes Maecenatis

- V. 17 ss. Pallade cum docta Phoebus donaverat artes,
 tu decus et laudes huius et huius eras.
 vincit volgares vi(ridis) beryllus harenas,
 litore in extremo quas simul unda movet.
- V. 33 ss. maluit umbrosam quercum nymphasque cadentes
 paucaque pomosi iugera(lae)ta soli,
 Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis
 sederat argutas garrulus inter aves.
 marmora Mi(m\ne\rm)i vincunt monumenta, libelli;
 vivitur ingenio, cetera mortis erunt.
- V. 101 s. conglaciantur aquae, scopulis se condit hirundo;
 verberat egelidos garrula vere lacus.

De Maecenate artem voce canendi una cum Horatio in Esquiliis exercente

Ethologia Maecenatis etiam in artibus versatur, ubi rem novam de Musarum cultore Maecenate in lucem protraho. nam quod praeter Palladem Phoebus ei artem donasse dicitur, Phoebum non refero ad poetam Maecenatem, etsi poeticam item atque pedestrem scriptionem sedulo coluit. immo artem musicam voce cantandi propenso animo exercuit, qua tamen de re nec vola nec vestigium est apud biographos Maecenatis neque antiquos neque recentes collectos Realenc. XIV (1930) 207—229. antecessor factus est Maecenas Calpurnii Pisonis senatoris ex testimonio Laudis Pisonis v. 166 ss. cantando clari, atque etiam Neronis Caesaris, qui quantum gravitati Romanae cantor publicus detraxerit, Suetonius, Ner. 20 s.

multus est. iuvat autem in hac re Horatii quoque meminisse, qui carmina sua, ut constat, cantavit potius quam recitavit. itaque qua indole mentis cum fautore peculiariter conexus Horatius fuerit, probe intellectis Elegiis in M. detegitur. quae tamen res praeteriit etiam Carolum Meister, „Die Freundschaft zwischen Horaz und Maecenas“ (Gymnasium LVII, 1950, p. 3 ss.).

Ceterum ut scrupulus omnis tollatur de Phoebō v. 17 et 35 ad chelyos usum et artem cantandi referendo, cf. Sen., Apocol. 4 v. 15 *Phoebus adest cantuque iuvat* et Laud. Pis. 167 s. *dulcis Apollinea sequitur testudine cantus et tē credibile est Phoebō didicisse magistro*. deinde in Elegiarum disticho v. 35 s. *Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis sederat argutas garrulus inter aves* adiectivum *garrulus* incaute a Drexler, Thes. 1. L. VI 2 p. 1698, 46 ad hominem „fabulantem“ trahitur. quamquam propria vi *garrulus* ad hominem loquacem spectat, atque hinc demum ad cantum avium tinnientium velut hirundinum translatum est, tamen ab animalibus revertit translatio ad homines iam novo significato aucta ab avibus ducto; cf. Gloss. *garrulus: cantor dulcis melos promens* (Thes. ibid. 1698, 83). atque adeo sic distichon v. 35 s. intellegendum esse, ut cantantem Maecenatem poeta dicat, vel inde perspicitur, quia eum non colloquentem cum amicis, sed qui inter *aves argutas* sedeat, Phoebum colentem induxit. denique animum Maecenatis ad cantandum inclinatum fuisse, ea quoque re probatur, quod insomni teste Seneca, De provid. 3, 10 *somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium quaerebatur*. ad postremum assumo in hanc argumentationem etiam distichon v. 101 s. *conglaciantur aquae: scopulis se condit hirundo; verberat egelidos garrula vere lacus*. quo loco cum poeta sententiam moralem tractet v. 97 *tempora dispensant usus et tempora cultum*, sub imagine hirundinis alludit ad Maecenatem abstinentem ab arte cantandi in tempestatibus bellorum, post victoriam Caesaris garrula voce hortos verberantem.

De Maecenate horti philosopho

Horti autem quos poeta v. 35 commemorat, nomen magnum apud posteros habuerunt in Esquiliiis siti horti Maecenatiani, de quibus cf. Realenc. VII 832, 53; VIII 2485, 58; XIV 215. quos hortos Maecenas in ea regione Esquilina con-

stituerat, quae prius teste Porphyryone ad Hor. Serm. I 8 sepulcris et bustis pauperum vacaverat. quibus in hortis tam Maecenas quam Horatius eodem anno, quo Elegiae scriptae sunt, suum quisque sepulcrum nactus est. nam *humatus et conditus est* Horatius ex verbo Vitae p. 48 R. *extremis Esquilis iuxta Maecenatis tumulum*, unde Fronto Caesari Aurelio eorum hortorum tunc dominus scripsit p. 23 Naber *Ora- tius Flaccus memorabilis poeta mihiq̄ue propter Mecenatem ac Mecenatianos hortos meos non alienus*. iam vero in Elegiis tumulus Maecenatis nequaquam memoratur, unde rursus intellegitur, sub ipso obitu eius epicedium a Lollio poetae conciliatum in lucem prodiisse ante tumulum in honorem amici ab Augusto exstructum. nam ipsum superstitem Maecenatem tumulum aedificavisse parum probabile est; cf. vocem nobilem eius a Seneca, Epist. 92, 35 traditam: *nec tumulum curo, sepelit natura relictos*. contra in Epicedio Drusi, quod poetam rhetorem sub initiis Claudii Caesaris panxisse idoneis argumentis suo loco firmabo, de exsequiis Drusi in Mausoleo Augusti conditi multa narrantur, ac *tumulus* quoque eius in sermonem venit v. 28 et 161.

Redeo a tumulo in hortis Maecenatianis sito ad ipsos hortos in Elegiis depictos. quos poeta coloribus lepidissimis descripsit, quia ei in animo erat, cultum vitae Epicurae Maecenatis illustrare, cum "Horti philosophi" apud veteres Epicuri sectatores peculiariter dicantur (cf. Zeller, Philos. d. Griechen III 1⁴ p. 376, 2). de "mollibus hortis", de "umbrosa quercu", de "nymphis cadentibus" in Elegiis sermo est. desinit autem ecphrasis in locutionem, quae emendationis egeat, v. 34 *paucaque pomosi iugera certa soli*. ubi quod *pauca* tantum *iugera* hortos Maecenatianos continuisse poeta memorat, id secundum rationem Epicuri fit, qui commonente Cicerone, De fin. I 65 *una in domo et ea quidem angusta . . . tenuit amicorum greges*. at epitheton *certa* ad *iugera* in codicibus additum, etsi a Vollmer in textum receptum, nec Epicurei quid sapit, nec omnino quid sibi velit, intellego. unde aut *culta* Aldinae aut *laeta* sive *grata* reponendum est. nec vero falsum me esse ut videas suspicantem; in Elegiarum descriptione hortorum Maecenatianorum cultum vitae Epicurae a poeta tangi, hortos Maecenas non extra pomerium in colli hortorum constituit, ubi horti Sallustiani aliique plures luxu omni floruerunt (Realenc. VII 831, 43 ss.), sed intra pomerium exemplum Epicuri secutus, de quo cf. Plin., Nat. hist. XIX 50 s. *iam*

quidem hortorum nomine in ipsa urbe delicias, agros villasque possident. primus hoc instituit Athenis Epicurus otii magister; usque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura.

De poeta Maecenate

A Phoebi cultore in hortis cum Horatio lyram pulsante venio ad poetam Maecenatem, ad quem Pallas v. 17 iuxta Phoebum appellata spectat. nimirum poetarum patrona, ex quo aedes Minervae in Aventino scribis antiquitus attributa est, Pallas apud Romanos proprie audit. quam late autem praeter pedestrem scriptionem poetica Maecenatis patuerit, fragmentis a P. Lunderstedt, De Maecen. frg. (1911) p. 35 ss. collectis cognoscitur. atque in interpretatione versuum, quibus Elegiarum auctor poetam Maecenatem celebrat, duas potissimum res persequor. rationem Epicuream hominis porro in lucem fero, de qua ratione primum supra p. 98 in laudibus spiritus vel inter tormenta prorogandi Maecen. frg. 1, deinde modo in hortorum cultu explicando monui. altera res haec est: iam ante me quaeri coeptum est ab R. Holland, Beiträge zum Verständnis der Maecenaselegien (Wiener Studien XLV, 1926/7, p. 82), nonne iis locis Elegiarum, ubi artes Maecenatis tractantur, compilatio scriptoris Maecenatis aliquando fiat.

Evidentissime poetam Maecenatem Elegiarum auctor in disticho v. 19 s. imitatur, ubi de beryllo harenas vulgares vincente sermo est. Augustus teste Macrobio, Saturn. II 4, 12 in epistula ad Maecenatem plura in iocos effusa subtexens *berulle Porsennae* amicum allocutus est. ipse Maecenas in versibus Horatio missis frg. 3 p. 36 L. *beryllos . . . nitentes* memorat. ceterum in textu distichi codicibus sic tradito: *vincit vulgares, vincit beryllus harenas, litore in extremo quas simul unda movet* anaphora verbi *vincit* ferri nequit. immo cum Buechelero *viridis*, qui color berylli est, pro altero *vincit* scribo. ideo enim anaphorae locus nullus est, quia gradatio deest, qualis adest apud Senecam, Apocol. 4. v. 14 *vincunt Tithoni, vincunt et Nestoris annos*. acumen distichi eo constat, quod poetae obversatur beryllus ex harena lutea viridis illucescens, cum inveniatur gemma hac virtute lucendi teste Plinio, Nat. hist. XXXVII 76 et 79 in litore harenoso maris Indici sive Pontici. quodsi *vulgares harenas* dixit poeta, dixit et *viridis beryllus*, ut oppositio iusta fieret. nec vero, ut anaphora insubida deleatur, particulam comparativam *sicut* a

Riese, Anthol. 760 a II p. 236 pro priore *vincit* propositam tolero. immo per exclamationem paene abrupte factam Elegiarum auctorem Maecenatem poetam potius celebrare decuit quam per comparationem disertam cum aliis poetis Romanis institutam. quae quidem comparatio vide ne periculosa futura fuerit, quia consuetudo dicendi Maecenatis tam in pedestribus quam in poeticis iam ab Augusto, Suet., Aug. 86, 2 irrisa et vituperata est itemque ab aliis criticis aequalibus; cf. Lunderstedt 1. 1. p. 18 ss.

De Mimnermo archegeta libellorum

Deinde haud scio an imitatio Maecenatis atque etiam ratio eius Epicurea pentametro distichi v. 37 s. insit, cuius distichi hexameter corrupta archetypi lectione *minei* a Vollmer cum asterisco in textum recepta laborat. quam scriptio-nem vitiosam *minei* tam multi frustra corrigere temptarunt, ut impatiens coniecturarum priorum emendationem Mi'm)ne-(rm)i mihi placentem cum collega Mediolanensi Luigi Alfonsi occasione oblata per cartam communicavissem. is autem sua sponte cum gaudio meo eam publici iuris fecit, Rivista di Filologia classica 1949 p. 122 ss., atque etiam ex copia doctrinae suae ingenique vivacitate utilissima adnotavit. utitur autem distichon: *marmora Mimnermi vincunt monumenta, libelli; vivitur ingenio, cetera mortis erunt* loco communi in litteris antiquis vel Augusteis maxime agitato, qui locus in memoria carminibus potius quam monumentis saxeis aereisve duratura versatur. desinit autem locus ille communis plerumque in Homero, principe poeseos, aut in carminibus generaliter dictis; veluti cf. Anthol. 417, 10 I p. 323 Riese *carminibus vives semper, Homere, tuis*. Ovid., Am. I 15, 32 *carmina morte carent*. III 9, 28 *defugiunt avidos carmina sola rogos*. at in Elegiis vox *libelli* ad grandia Homeri carmina nequam quadrat; quae tamen res eos praeteriit. qui pro *minei* proposuerunt *Maeonii* vel *Smyrnaei*. iam vero qui inter priores *Musei*, *Pierii*, *cygnei*, *Aonii*, *Apollinei* voluerunt, ne iis quidem contigit, ut ab offensione immunem textum constituerent. nam adiectivo *Musei* aliove eius sensus adiectivo ad *libelli* tracto substantivum *monumenta* sine molestia strui nequit. quam molestiam bene sensit Scaliger, qui praeter quod *Smyrnaei* cogitavit, insuper totum versum sic restituere ausus est: *marmor(e)a (Aonii) vincunt monumenta libelli*. at multo me-

lius removetur difficultas struendi substantivi *monumenta*, si genitivus *Mimnermi* a *monumenta* suspenditur. nam ut urgere omittam, probabilitate palaeographica Scaligeranum textum nimis carere, *minei* in *Mimnermi* suppleto totus versus sensu novo et idoneo splendet. nimirum accepta coniectura *Mimnermi* sententia poetae supra locum communem de memoria litteris permanente subito excedit in laudes peculiare *libellorum* i. e. elegorum, cum vox *libelli*, quae iam per appositionem ad *Mimnermi monumenta* accedit, proprie apud Augusteos i. q. "elegi" valeat. gloriatur igitur epicedii scriptor, suo ipsius opusculo Elegiarum in Maecenatem, quas esse vult *monumenta Mimnermi*, nomen defuncti melius ad posteros ferri quam *marmoribus*. simul autem, cum suorum elegorum virtutem poeta celebrans hexametro adnectit pentametrum: *vivitur ingenio, cetera mortis erunt*, desinit de se ipso solo loqui, sed Maecenatem quoque ipsius ingenio scripturaque ingeniosa immortalem fore auguratur. nimirum vel Seneca, alias detrectator acerrimus scriptionis Maecenatianae, dixit de eo, postquam versum quendam eius frg. 6 p. 37 L. attulit: *habuit enim ingenium et grande et virile*.

Peculiaris usus vocis *libelli* ad singulas elegias, non ad libros elegiarum spectantis notissimus est ex Caroli Lachmann errore conclamato, Propertii versum II 13, 25 *sat mea sit magna, si tres sint pompa libelli* ad tria volumina referentis, ac non, ut debuit, ad terna carmina elegiaca quaelibet; cf. Leo, Goetting. Anz. 1898 p. 733. de quo usu vide sis etiam eundem Propert. I 11, 19 *si quid tibi triste libelli attulerint nostri*. III 2, 15 s. *fortunata, meo si qua est celebrata libello*. Ovid.; Trist. III 3, 77 s. *hoc satis in titulo est; etenim maiora libelli et diuturna magis sunt monumenta mihi*. deinde quod *Mimnermi monumenta* Elegiarum auctor elegos suos nominavit, archegetes elegorum audit Mimnermus etiam apud Propertium I 9, 11 *plus in amore valet Mimnermi versus Homero* et Hor.; Epist. II 2. 10 *fit Mimnermus et optivo cognomine crescit*. denique in eo fecit Elegiarum auctor cum Horatio, quod locum communem de memoria litteris permanente tractans dedignatus est Homerum aut chorum Musarum summatim sollicitare, sed archegeten eius generis poeseos advocavit, quod ipse agitabat. nimirum ut poeta elegiacus ad Mimnermum, sic Horatius, poeta lyricus Carmine IV 9 ad Lollium, patronum auctoris Elegiarum misso, pro Homero ad Pindarum, Anacreontem, Sappho provocavit v. 5 ss. *non si priores Maeo-*

nus tenet sedes Homerus, Pindaricae latent . . . Camenae. nec si quid olim lusit Anacreon, delevit aetas; . . . vivuntque commissi calores Aeoliae fidibus puellae. itaque arte Augustea detineri anonymum Elegiarum in Maec. scriptorem feliciter apparet.

De ingenio mortem vincente despecta immortalitate animae

Relinquitur ut interpretatio pentametri v. 38 *vivitur ingenio, cetera mortis erunt* ab omni parte muniatur, cui tam imitatio Maecenatis quam ratio Epicurea inest. locus communis de ingenio mortem vincente sic variari potest, ut interdum verbi causa Achilles Homeri ingenio ad aeternitatem ducatur, interdum Homerus ipse carminibus suis semper vivere perhibeatur. at vita aeterna, qua fruuntur viri illustres factis scriptisque ingeniosis mortem superantes, in litteris Romanis etiam extra locum de memoria carminibus permanente ea ratione celebratur, ut doctrina de immortalitate animae tangatur. Vergilius Aeneidos libro sexto in elysio magnos viros vitam beatam degere cecinit, ac iam ante poetam Augusteum Cicero in librorum De de publica sexto Scipionem somniantem fecerat duces claros a corporibus resolutos in caelum migrasse. contra Maecenas de immortalitate animae desperans nulla nisi prorogandi spiritus vota rata esse voluit; qua de re in ecloga altera Elegiarum in Maec. v. 107—144 subinde interpretanda certa patebunt. ergo etiamsi moribundus postrema verba Caesari mittens susurrare dicitur v. 165 s. *ipse ego quicquid ero cineres interque favillas, tunc quoque non potero non memor esse tui*, nihilo minus vide ne sensus versiculi *vivitur ingenio, cetera mortis erunt* integer vix intellegatur nisi in censum vocato dogmate Epicuri, χρρ. δοξ. II p. 71 et 395 Usener latine ab Hieronymo reddito Adv. Iovin. II 6 *post mortem nil est et mors ipsa nil est*. utique in voce pentametri *cetera mortis erunt* vocabulum *cetera* etiam ex opposito flosculo proxime antecedente *vivitur ingenio* explico, cum natura humana ex sententia Maecenatis praeter ingenium morti obnoxia sit. quamquam infitias non eo, *cetera* simul ad *monumenta* in hexametro dicta spectare, neque immemor sum Senecae, qui Ad Polyb. 18. 2 *scriptorum monumento* opponit *cetera, quae per constructionem lapidum et marmoreas moles . . . constant*. verum ex auctoritate Maecenatis et ex imitatione scripturae eius factum est, ut in poesi Romana, ubicumque locus de memoria litteris permanente tractatur, huic

loco passim immisceretur opinio, qua res humanae omnino perirent excepto ingenio. atque adeo hinc causam repeto, cur locus communis de viris illustribus vitam aeternam voci vatam debentibus nusquam deflexerit apud Augusteos in locum de immortalitate animae. in circulis Maecenatis Varius, amicissimus eius, ratione Epicurea carmen *De morte* condiderat (cf. Schanz-Hosius, *Gesch. d. r. Lit.* II⁴, 1935, p. 163). a laude ingenii in Elegiis in Maecen. obvia proxime abest Propertius II 2. 23 s. *at non ingenio quaesitum nomen ab aevo excidet, ingenio stat sine morte decus.* ne Seneca quidem, philosophus stoicus, locum de ruina monumentorum saxeorum in doctrinam de immortalitate animae Ad Polyb. 1. 1. desinere voluit, sed in laudem ingenii: *immortalis est ingenii memoria.* denique cf. immixtas loco de memoria carminibus vigente laudes ingenii Anthol. 418, 5 s. I p. 324 R. *ingenio mors nulla nocet, vacat undique tutum, inlaesum semper carmina nomen habent.*

Facta bellica Maecenatis v. 39—48

V. 39 ss. quid faceret defunctus? erat comes impiger, idem miles et Augusti fortiter usque pius.
illum piscosi viderunt saxa Pelori
ignibus hostilis reddere ligna ratis.
pulvere in Emathio fortem videre Philippi,
tam nunc illi tener, tam gravis hostis erat.
cum freta Niliacae texerunt (strage) carinae,
fortis erat circa, fortis et ante ducem,
militis Eoi fugientis terga secutus,
territus ad Nili dum fugit ille caput.

Tribus proeliis, terrestri Philippensi, navalibus duobus, et Actiaco et ei, quo Sextus Pompeius apud Naulochum propter promunturium Pelorum pulsus est, interfuisse Maecenatem poeta memoriae prodit. at historici antiqui, ut alii sic amplissimi Appianus et Cassius Dio de militia Maecenatis nihil tradunt. ne de adstante quidem eo Caesari in pugna Philippensi quicquam referunt, ubi tamen veras Elegias esse firmat Plinius. qui inter adversa Augusti rem quandam exhibet, ex qua adfuisse Maecenatem Caesari aegrotanti inter pugnam concludere liceat, Nat. hist. VII 148 *Philippensi proelio morbi, fuga et triduo in palude aegroti et, ut fauentur Agrippa et Maecenas, aqua subter cutem fusa turgidi latebra.* deinde

quod ad proelia apud Naulochum et Actium attinet, cum rerum scriptores veteres Maecenatem taceant, immo quaedam habeant de eodem Romae per bella adversus Sextum Pompeium et Antonium in Italia mandata Caesaris exsequente, res eo venit, ut Elegiarum fides ab historicis vel spectatissimis huius aevi pertinaciter addubitetur, cf. Realenc. X 315 et 332 et XIV 210 s. meum igitur est excellentem eruditionem Elegiarum in singulis demonstrare.

In pugna apud Pelorum pro Caesare aegroto cohortibus imperat Maecenas

In victoria, quam classis Iuliana a Sexto Pompeio reportavit, poeta v. 41 s. testatur, Maecenatem rates hostiles ignibus dedisse. res ipsa, quam actam esse a Maecenate solae Elegiae volunt, a scriptoribus quoque rerum veteribus Appiano V 121 et Dione IL 10 traditur. postquam Pompeiani in mari ab Agrippa in fugam compulsi sunt, Iulianae cohortes a terra in paludes egressae, eas hostium naves, quae ad litus eiectae erant, combusserunt. suboritur tamen quaestio, cuius ex iussu cohortes egressae sint. Agrippa quidem a terra absens in mari navalia regebat, Caesar vero, qui cum legionibus apud Naulochum tendebat, item ut in pugna Philippensi eo die, quo Sextus Pompeius superatus est, valetudine aegerrima affectus erat; cf. Suet. Aug. 16 "Pompeium inter Mylas et Naulochum superavit, sub horam pugnae tam arto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. unde praebitam Antonio materiam putem exprobandi: ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem, verum supinum caelum intuentem, stupidum cubuisse nec prius surrexisse ac militibus in conspectum venisse quam a M. Agrippa fugatae sint hostium naves." iste igitur cum status rerum fuerit in castris Caesaris die pugnae apud Naulochum, ut imperator ad dandum signum *ab amicis* excitandus esset, amicorum princeps Maecenas et expergefecisse dormientem et etiam auctor fuisse existimandus est, ut cohortes egrederentur ad comburendas naves ad litus eiectas. atque Elegiarum testimonio accedit Horatius, qui dum pugnae Actiacae interest, in navi longa Maecenatem comitatus, vespertinis horis iambum pangens patrono, dubio adhuc victoriae, grata auditu dixit Iamb. 9, 7 "ut nuper, actus cum freto Neptunius dux fugit ustis navibus".

Ceterum cavendum est, ne turbæ fiant Appiani et Dionis testimoniis, qui anno 36, in quem annum proelium apud Naulochum cadit, curam urbis et Italiae Maecenati a Caesare mandatam esse tradunt. et Appianus quidem in narranda expeditione Sicula anni 36 refert V 99 et 112, semel atque iterum Maecenatem a Caesare Romam missum esse ad seditiones sedandas. unde tam hoc efficitur, eum in comitatu Caesaris adversus Sextum profectum esse, quam illud, revertisse eum saltem semel ad Caesarem. quamquam autem Appianus l. l. 112 Maecenatem iterum missum rursus rediisse in Siciliam omittit dicere, tamen munus perpetuum tuendae urbis iam tunc ei a Caesare mandatum esse nequaquam testatur, sed tantum cupidus novarum rerum Romæ ab eo castigatos esse commemorat. itaque quae Realenc. X 315, 6 post motum populi Romani alterum a Maecenate profligatum, allegatis Dione IL 16 et Tacito, Ann. VI 11, leguntur: „Maecenas blieb in Rom und leitete dort bis zur Rückkehr Octavians die Verwaltung Italiens“, ea ex locis Dionis et Taciti effici nequeunt. Tacitus quidem nil nisi haec habet: „Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem equestris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit“. Dio autem demum post cladem Sexti IL 9 s. narratam ibid. 16 refert, curam urbis et Italiae in perpetuum exercendam Caesarem Maecenati dedisse. atque adeo demum post debellatum Sextum Pompeium res urbanas et Italas de integro ordinatas esse probabile est. ad summam Elegiarum auctoritas testantium, adfuisse Caesari Maecenatem die pugnae apud Naulochum, historicis veteribus nullo modo infringitur. reversus est ille ut semel ita iterum ad Caesarem in Sicilia tendentem incitatus ad festinandum foedere amicitiae, praesertim cum amicus in primis miseriis belli Siculi fere de anima periclitatus esset (cf. Realenc. X 314, 60). optimo igitur iure Maecenas teste Velleio II 88, 2 perhibetur fuisse: „ubi res vigiliam exigeret, sane exsommis, providens atque agendi sciens“. nec non audiendus est Propertius II 1, 25 ss. allocutus Maecenatem: „bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu Caesare sub magno cura secunda fores. nam quotiens . . . canerem Siculae classica bella fugae, . . . te mea Musa illis semper contexeret armis, et sumpta et posita pace fidele caput“.

Quod vero Elegiae v. 39 s. de Maecenate Caesari in bellis semper adhaerente dicunt: *erat comes impiger, idem miles et Augusti fortiter usque pius*, hoc loco epitheton *impiger*, quam-

quam solo codice Vossiano pro *integer* reliquorum codicum traditur, suam sedem adversus Vollmerum editorem tuetur. *comes* autem in expeditionibus de homine familiari duce[m] comitante peculiariter adhibetur; cf. Thes. l. L. III p. 1773 s.

Strategemata Maecenatis in pugna Actiaca

In Elegiarum versu 46 de pugna Actiaca declarando *fortis erat circa, fortis et ante duce[m]* interpretatio philologa rursus triumphat de historicis antiquis partes Maecenatis in pugna illa tacentibus. quo in versu loquelam *circa . . . et ante duce[m]* pro spuma rhetorica facile quis habuerit, accessurus propter tale loquendi genus Mauricio Haupt, Opusc. I p. 332 et 347 praepropere iudicanti, Elegias "scholastici versificatoris ineptias" esse antiquitate cadente compositas. verum passim fit, ut quae scriptor aequalis aequalibus dicat, ea ab illis ilico oppido capiantur, eandem lectionem posterius remoti a praesentia rerum stupefiant haerentes incerti, quid scriptor voluerit. non quo ostentaret se copia verborum splendentem, poeta duas praepositiones, et *circa* et *ante* ad *duce[m]* apposuit, nec per anaphorum rhetoricam epitheton *fortis* iteravit, sed duarum rerum in pugna Actiaca gestarum inter se distantium lectores commonefecit. quarum rerum utraque apud Actium miles Maecenas de Caesare meruit. primum enim quod Caesar teste Dione L 31 eam rem fecit, quae plurimum valeret ad prosperum eventum pugnae navalis, illam rem Maecenatis consilio eum fecisse ex Elegiis colligo. nimirum Caesar comites omnes in scaphas actuarias coniecit (πάντας τοὺς ἑταίρους ἐς ὑπηρετικὰ ἐμβάλων), ut celeriter circumnavigando (ἐν τάχει περιπλέοντες) proeliantes de iis, quae res ipsa postularet, moneant, et sibi omnia, quae opus essent, annuntiarent. hoc vero ad strategema quadrat unice Elegiarum dictio de Maecenate *fortis erat circa . . . duce[m]*. vide igitur ne ex testimonio Elegiarum Maecenas potissimum sub voce Dionis ἑταίρους intellegendus sit, qui Caesari cum suaserit strategema illud, tum ipse praefuit scaphis actuariis. atque adeo hac ratione interpretatus vocabulum Dionis ἑταίρους, relego etiam ad consuetudinem scriptorum veterum tam Graecorum quam Latinorum, qua pluraliter dicentes verbi causa *sapientes* Ciceronem dicunt, *prudentes* Senecam. qua de consuetudine paene in legem artis abeunte cf. Goetting. Anz. 1918 p. 285 atque etiam H. Diels, Berl. Sitzungsab. 1910 p. 1144. ἑταίρους autem latine i. q. *comes* valet (Thes. l. L. III p. 1769, 75), co-

mes impiger audit Maecenas Eleg. v. 39. ceterum incommo- dum erat historicis antiquis, merita bellica Maecenatis in lucem claram effere iustumve ad ordinem redigere, cum iste munus militare nullum gesserit, neque equestre neque senatorium. at anulum Caesaris una cum Agrippa acceperat teste Dione LI 3, unde auctoritate praefectos et magistratus rei publicae superabat.

Facinus alterum Maecenati in proelio Actiaco tribuendum duco persecutionem fugientis Antonii paucis Liburnis temptatam. quam rem Dio LI 1 breviter memoravit. Plutarchus, Anton. 67 narratiuncula exornavit. nam postquam Antonius fugientem reginam sequi maluit quam in pugna cum milite suo perstare, Liburnarum Caesaris pars cursum fugientium petebat. nec tamen assequi carinas Aegyptias vento secundo prolapsas potuerunt Liburnae remis tantum propulsae, sed infecta re subinde reversae sunt, etiamsi unius quidem navis Iulianae proxime ad Antonianam navem appulsae dux Eurycles paene hasta percussit Antonium. iam vero Agrippa, vir navigandi peritissimus, minime putandus est Liburnas ex acie ad persequendos hostes fugientes emisisse. immo is etiam ante pugnam Caesarem teste Dione L 31 praemonuerat, ne hostes praertervehi sineret, fugientes a tergo aggressurus, quia eos velis usus Liburnae remigiis usae assequi nequirent. nempe vela Iulianos in terra reliquisse, Antonianos eadem secum habuisse ex Dione L 33 et Plutarcho, Anton. 64 cognoscitur. quae cum ita sint, Agrippa extra rationem relicto, Caesari comitique eius impigro Maecenati conamen persequendi hostis attribuendum est. utique is status pugnae navalis, quo dux classis Iulianae Agrippa Antonianam ex sinu Ambracio profectam prohibebat in altum prorumpere, paucae tamen Liburnae in alto cursum in Antonium dirigebant, egregie Elegiarum voci de Maecenate convenit: *erat ... fortis et ante ducen; militis Eoi fugientis terga secutus.*

Certiora igitur de Maecenate milite Actiaco Elegiae praebent quam Horatius, qui tamen ipse quoque certus testis Iambis 1 et 9 est, interfuisse Maecenatem pugnae Actiacaе. atque ex Iambo 1 *Ibis Liburnis* compertum est, eum consilium cepisse proficiscendi ad bellum navale cum Caesare. Iambum 9 autem iam p. 111 obiter tetigi commonens, quantis blanditiis poeta patronum affecerit facinore eius in pugna adversus S. Pompeium dictione *ustis navibus* significato. quem Iambum *Quando repostum Caecubum ad festas dapes victore laetus*

Caesare Horatium composuisse recentem a nausea ipso pugnae Actiacae die IV nonas Septembres a. 31 in navi Maecenatiana vesperi, F. Buecheler, Kl. Schr. II p. 320 s. commentatione strictissima evicit. atque ad eundem finem venit F. Wurzel, *Hermes* 73 (1938) p. 361 ss. „Der Ausgang der Schlacht von Actium und die 9. Epode des Horaz“. quamquam iste v. 20 *sinistrorsum* i. q. „in malam partem“ valere p. 374 ratus, in futilia delapsus est, cum eum praeterierit Buecheler. nimirum Horatius vidit hostiles naves *sinistrorsum* citas recessisse in sinum Ambracium. receperunt autem Buecheleri interpretationem Iambi Horatiani, militiam Maecenatis in pugna Actiaca testantis, iudices probi Kiessling et Heinze in commentario Horatiano, qui tantum ad v. 19 s. id immerito mirantur, quod poeta vespertina hora parum certus de debellata hostium classe fuerit. immo Caesar quoque tunc temporis tam incertus erat de hostium constantia pugnandi penitus fracta, ut teste Suet. Aug. 17 in navi pernoctaret, paratus ad proelium crastino die redintegrandum. atque de Antonianis navibus etiam Velleius statuit II 85, 4 „illis etiam detracto capite in longum fortissime pugnandi duravit constantia.“ denique Orosius, Adv. pag. VI 19, 11 postero demum die inlucescente victoriam Caesarem consummavisse tradit.

Appiani locus IV 50 τὸν μὲν δὴ (Λεπίδου) παῖδα ὁ Μακρήνας εἰς Ἄκτιον ἔπεμπε τῷ Καίσαρι, quo loco scriptor narrat, Lepidum, filium triumviri coniuratum in Caesarem a Maecenate Romae convictum esse, imprimis in causa est, cur scrupuli de militia Maecenatis Actiaca iterum iterumque nascantur. nam qui de hac coniuratione rettulerunt docti Realenc. I 561, 56; X 332, 30; XIV 211, 5, ii eam anno 31 tribuere satis habent, non agnoscentes, Lepidum demum post pugnam Actiacam Romae coniurasse, et a Maecenate in urbem advolante oppressum missumque esse, ad Caesarem; qui quidem tunc apud Actium occupatus erat in conciliandis Antonii veteranis. quarum rerum sic se habentium luculentissimus testis est Velleius II 88, 1 “dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imposuit manum, M. Lepidus . . . Iunia, Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Caesaris consilia inierat”. cum Velleio autem concordant Livius, Perioch. 133 et Suetonius, Aug. 19, demum post proelium Actiacum Lepidum insidias Caesari struxisse firmantes. quod vero Dio LI 3 ad annum 31 de motibus militum in Italia locutus adnotat, Maecenatem “tunc”, τότε, Romae Italiaeque

administrandae praefuisse, iam Buechlero l. l. p. 321 commo-
nente Dio hoc loco res memorat post victoriam Caesaris et
mensem Septembrem actas. nec quicquam in hanc quaestionem
facit, quod Dio priore iam loco post debellatum Pompeium
rettulerat IL 16 curam urbis et Italiae “tunc ac diu post”,
τότε καὶ ἔπειτα, Maecenatem gessisse. quocirca fumum ven-
dit Stein, Realenc. [XIV] 210 s., qui detrectans Elegiis et
Horatio militiam Actiacam Maecenatis testantibus in hanc sen-
tentiam iit: „hingegen war nach der klaren Erzählung bei Dio
LI 3, 5 zur Zeit der Schlacht bei Actium Maecenas in Rom oder
doch in Italien“. immo nullius scriptoris antiqui testimonium
suadet, ut in discrimine rerum apud Actium Maecenas amico
defuisse dicatur. nimirum in eo superavit Divus Augustus
Divum Iulium, quod veros amicos habuit, ille non nisi assec-
tatores.

In ecphrasi pugnae Actiacae v. 45 *cum freta Niliacae
texerunt strage carinae* pro *laeta* sive *lata* codicum *strage* re-
pono. neque enim hostium carinae, sed ruinae carinarum mare
texerunt. quanta strage proelio ad finem vergente freta repleta
fuerint, docet Florus II 21, 7 “quippe immensae classis nau-
fragium bello factum toto mari fluitabat, Arabumque et Sa-
baeorum et mille Asiae gentium spolia purpura auroque inlita
assidue mota ventis maria removebant“. cf. etiam Dio L 33 et
Prop. IV 6, 58 “sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas”.
ceterum quam stragem apud Actium in mari factam Elegiae
breviter tangunt, eam coloribus largis descripsisse suspicor Va-
rium, poetam ante Vergilium apud Augusteos principem, in
carmine epico de actis Caesaris et Agrippae. quod carmen,
Elegiarum scriptori probabiliter notum, ab inferis revocavi
commentatione propediem proditura in Symbolis Osloensibus.

De iure victoris in desidia fluentis v. 49—102

Declamatio de desidia victoris Maecenatis tripertita v.
49—102 decurrit. tertium et novissimum locum obtinet v. 93—
102 argumentatio moralis, qua causis variis ex vita hominum
et animalium per tempora mutante petitis ostenditur, victorem
otium et delicias, victum labores et metum decere. hanc diatri-
ben moralem antecedit declamationis pars altera v. 69—92,
quae duobus exemplis mythologicis efficitur, et Herculis post
labores transactos effeminati in amore puellae Lydiae v. 69—
86, et Iovis post Aloidas superatos cubantis cum Ganymede
usque ad nitidum diem v. 87—92. iam vero prima pars decla-

mationis de desidia victoris, facta bellica Maecenatis excipiens, v. 49—68, incipit illa quidem item ut altera pars ab exemplo mythologico, ab Apolline Actio, qui ex sagittario pugnae navalis citharoedus factus sit. quo loco in animo habet poeta me iudice potissimum ludos Actios quinquennales a Caesare a. 28 in honorem Apollinis conditos. nec tamen acquiescit poeta in Phoebopro exemplo vitae cultus per tempora mutantis habito, sed subito v. 57 devertit in fabulosum quandam sermonem Phoebi colloquentis cum Baccho ex Indis triumphante. ubi scriptor iam Apollinem, qui Bacchum alloquitur, non verum Apollinem inducit, sed personatum, i. e. Caesarem, Bacchumque non verum Bacchum, sed personatum, i. e. Maecenatem. excedit igitur haec pars declamationis de victore otioso mirum quantum supra genus exemplorum mythologicorum praebetque memoriam biographicam de Maecenate singularem. qua memoria manifesta fiunt Caesaris et Maecenatis ludicra, quae ab oculis Romanorum remota in arcanis aulae Caesareae fuisse existimandum est. unde versus 49—68 in singulis mihi explicandi sunt, ut eruditio selecta, scriptore aequali a Lollio nutrito unice digna, vel hac parte carminis aperta fiat, in qua interpretanda priores, etsi nonnulli ut Vollmer aliquantum profecerunt, ad iustum finem non pervenerunt.

De lectisternio mimico Caesaris et Maecenatis post victoriam Actiam habito

- V. 49 ss. pax erat, haec illos laxarunt otia cultus,
omnia victores Marte sedente decent.
Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
postquam victrices conticuere tubae:
— hic modo miles erat, ne posset femina Romam
dotalem stupri turpis habere sui;
- V. 55 hic tela in profugos, tantum curvaverat arcum,
misit ad extremos exorientis equos —:
“Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
potasti galea dulce iubante merum.
et tibi securo tunicae fluxere solutae,
- V. 60 te puto purpureas tunc habuisse duas.
sum memor, et certe meministi, ducere tigres
bracchia hyperborea candidiora nive,
et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro,
serpentes hederæ vix habuere locum.

- V. 65 argentata tuos etiam talaria talos
 vixerunt certe nec, puto, Bacche negas.
 mollius es solito mecum tum multa locutus
 et tibi consulto verba fuere nova”.

Lectisternia deorum inter sacra Romanorum usitata imitatum Caesarem cum intimis profanum lectisternium iam ante Antonium debellatum cum luxuria instituisse memoriae prodit Suetonius, Aug. 70 “cena quoque eius secretior in fabulis fuit, quae vulgo δωδεκάθεος vocabatur; in qua deorum deorumque habitu discubuisse convivas et ipsum pro Apolline ornatum, . . . Antoni . . . epistulae singulorum nomina amarissime enumerantis exprobrant”. qua tamen in re Caesar non suo invento gavisus est; immo morem ducum Graecorum inde ab Alexandro Magno increbescentem secutus est. quem morem ex superstitionibus gentium alte repetivit S. Eitrem, Symb. Osl. X p. 31 ss. „Zur Apotheose I Verkleidung und Göttermahl“. quodsi sollemnia fuerunt aetate Alexandrina regum lectisternia eius generis, maximam fidem habemus Elegiis indicantibus, post Actium Caesarem amicosque eius vestitu deorum ornatos lectisternio mimico victoriam celebrasse. atque in hac quoque festivitate Apollinem item ut in ea, quam Suetonius loquitur, Caesarem gessisse, verisimillimum est. nam quamquam sub initiis principatus cum variis dis Caesar aequabatur, Divus autem Augustus iam apud Ovidium et praecipue post ascensum in caelum Iuppiter Tonans audiebat, tamen aequatio cum Apolline locum habet apud Horatium, Carm. I 2, 32, deinde Apollinis subolem Octavii filium existimatum esse Suetonius, Aug. 94 et Dio XLV 1 referunt. iam vero de Maecenata sub Baccho in Elegiis intellegendo res aequae certa est atque de Caesare pro Apolline Bacchum alloquente. nimirum ratione eadem illudit Baccho in Elegiis comiter Apollo, qua ratione Augustus amico illudere solebat vel ex testimonio Epistulae supra p. 106 mihi in ethologia morali Maecenatis allato. nemo non videt, verba Apollinis Elegiarum de Baccho, verborum novatore v. 68 *et tibi consulto verba fuere nova* ad Maecenatem spectare a Caesare propter cacozelian passim irrisum teste Suetonio, Aug. 86, 2 “cacozelos . . . exagitabat . . . nonnumquam, inprimis Maecenatem suum, cuius myrobrechis, ut ait, cincinnos usque quaque persequitur et imitando per iocum irridet”. praeterea corporis cultus amoenior, qui Maecenati post Caesaris victoriam placuit, ab ipso descriptus in opere *De cultu*

suo, — cuius de operis indole praeter ceteros vide O. Rossbach, Berl. Phil. Wochenschr. XL (1920) p. 358 ss. — eximie quadrat ad sensus proprios sermonis, quem poeta Apollini Bacchum alloquenti dedit. tunicae solutae equiti Romano maxime a civibus frontis severae opprobrio dabantur, quas excusavit poeta simplicitate Maecenatis in ethologia morali v. 25 *livide, quid tandem tunicae nocuere solutae?* tunicae solutae item memorantur in cultu Bacchi describendo v. 59 *et tibi securo tunicae fluxere solutae.*

Nolo cuiquam persuadere, versus Elegiarum 57—68 eclogam esse ex mimo festivo, quo Caesar et Maecenas in convivio victoriam Actiacam cum hilaritate celebrarunt, non repetiit aut invertit poeta sermonem, quem Apollo personatus Caesar olim apud intimos ludibundus habuit, sed resuscitavit poeta tantum memoriam suaviloquentiae, qua fidelissimo amico tunc Caesar blanditus sit. nec vero cum Fr. Vollmer, Bayer. Sitzungsab. 1918, 4 p. 18 nescio quo iure ad Nonnum, Dionys. XXVII 251 ss. provocante, versus 57—68 pro dithyrambo Apollinis Bacchum praedicantis habeo, quamquam libenter credo, in ludis Actiis unum et alterum eorum, qui certamen musicum quinquennale inierunt, etiam dithyrambum in honorem Dionysi iussu Apollinis cecinisse. immo epicedii scriptor versus 57—68 eo tantum animo panxit, ut corde volutans ea, quae Lollius patronus de lectisternio mimico cum eo communicaverat, suprema tamquam verba Caesarem moribundo Maecenati dicentem faceret, quibus princeps caveret, ne tunicae solutae nomen amici apud posteros diffamarent.

Quod ex *Indis*, non ex *Aegyptiis* in ludo triumpharunt Caesar et Maecenas post victoriam Actiacam, id non potuerunt quin facerent pro dis ornati accubantes convivae in lectisternio secretiore. Bacchum praeter Iovem solum omnium deorum triumphasse Lactantius, Div. inst. I 10, 8 commonet, laurumque victoris illum primum tulisse Tert., De corona 7 et 12. ex quo Alexander Magnus in Indiam penetravit, consuetudo triumphatorum pullulavit, qua juvenilis victor imagine Bacchi ex India triumphantis repraesentaretur; cf. Roscher, Lexicon d. gr. u. r. Mythologie I p. 1145. inter Romanos duces G. Marius et Pompeius Magnus triumphatores Liberum patrem imitatos esse Valerius Maximus III 6, 6 et Plinius, Nat. hist. VIII 4 narrant, Scipioque triumphans cum Baccho comparatur a Silio, Pun. XVII 645 ss. alienum igitur interpretis Elegiarum est, cum I. Ziehen, Rhein. Mus. LII (1897) p. 450 ss.

collectis omnibus rebus, quae Augusto de Indis prospere cesserunt, in rebus Indicis Augusti finem et acumen versuum 57—68 ponere. quamquam concedo proclive vel ideo fuisse, post pugnam Actiacam in ludicris triumphatorem Indicum pro Aegyptiaco substituere, quia inter auxilia Antonii apud Actium Indi quoque pugnant; cf. Verg., Aen. VIII 705 s. "Aegyptus et Indi . . . omnes vertebant terga". Propert. II 10, 15 "India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho".

Spatio versuum quattuor 53—56 per parentheses positorem, quibus versibus sagittarius Phoebus in pugna Actiaca victoriam Caesari dedisse dicitur, dirimitur cantor Phoebus iam v. 51 ad cantandum paratus ab ipso exordio cantilenae demum v. 57 incipientis. inde diu apud criticos in obscuro remansit, quis tandem v. 57—68 Bacchum alloquens a poeta inductus esset, donec Vollmer in editione verum stabilivit. nihilominus parenthesi illa in insolitum modum excedente factum est, ut vel post Vollmerum R. Holland, Wiener Studien XLV p. 83 s. argumentatione prolixa nobis persuadere conaretur, Herculem, ac non Phoebum, allocutorem Bacchi a poeta dici. verum vero ideo poeta sic sibi indulxit, ut extra modum parentheses extenderet, quia Augustus non sibi, sed Actio deo, in pugna praesenti, victoriam deberi cum maxime nixus est. quocirca poetae Augustei, tam Vergilius, Aen. VIII 704 ss. quam Propertius IV 6, 29 ss. partes dei in pugna exaggerant. itaque Elegiarum scriptor, poeta Augusteus et ipse, facere non poterat, quin saltem in transitu cum damno cohaerentis contextus arcum dei in modum fabulosum curvatum praedicaret. ceterum, quoniam coloribus distat tam a Vergilio quam a Propertio poeta, Varium, opinor, imitatus est. cuius ecphrasin pugnae Actiaca in opere de actis Caesaris et Agrippae iam supra p. 116 in Elegiis vestigia reliquisse conieci.

Propertius elegia IV 6 aedificationem aedis Apollinis Palatini a. 28 dedicatae ex victoria Actiaca traxit, quo anno eodem Iudi Actii in honorem Apollinis instituti sunt. qua elegia cecinit Propertius a. 16 dies festos, quibus a. 28 simul victoria Actiaca Apollini tribuenda, simul dedicatio templi Apollinei in Palatio siti celebrata sunt. versatur igitur Propertius ex parte saltem in eodem argumento atque Elegiae in M. v. 49—68. inde fit, ut instrumentorum artis, quibus uterque poeta utitur, quaedam in utroque recurrant. item ut in Elegiis v. 51 s., etiam apud Propertium Phoebus ex sagittario citharista fit v. 69. aequae atque in Elegiis festivitatem Phoe-

bus et Bacchus ducunt, iidem di una agunt apud Propertium v. 76 "Bacche, soles Phoebos fertilis esse tuo". arte consimili, qua in Elegiis v. 57—68 Apollo loquens inducitur, sermo longior a Propertio v. 37—54 Apollini tribuitur. aliis tamen iisque gravissimis rebus Elegiae et carmen Propertianum inter se differunt. nec velim ut iusto pluris aestimes, si in festis Phoebus et Bacchus iuncti appareant. nam apud antiquos nullum omnino numen praeter Dianam artius cum Apolline quam Bacchus conecitur; cf. Realenc. II 35. deinde in sermone Apollineo Propertii v. 37 ss. Phoebus bellator Augustum alloquitur in pugnam iturum, in Elegiis v. 57 ss. citharoedus Apollo Bacchum triumphantem. principum Romanorum convivia ludicra tangere abstinuit Propertius contentus de se ipso dicere v. 71 s. "candida nunc molli subeant convivia luco, blanditiaeque fluant per mea colla rosae". nullo nisi Elegiarum testimonio lectisternium mimicum Caesaris intimorumque eius, post Actiam victoriam habitum, notum fit; quod addatur vitis Divi Augusti et Maecenatis.

Critica ad versus 49—102

A codicibus recessi acceptis coniecturis palmaribus Buecheleri v. 61 *meministi* pro *memini sic* et Vollmeri v. 62 *hyperborea* pro *purpurea*. praeterea v. 58 *iubante* cum Ruitgers pro *iuvante* scripsi, etiamsi haec vox hoc uno loco in litteris Latinis appareat. at cum *iubans* epitheton galeae accedat, pro *iubatus* ponitur, quod vocabulum a *iuba* tractum fere idem quod *comans* a *coma* derivatum significat. *comans* ad galeam apponitur apud Vergilium. conferendus est usus passivus sive intransitivus participiorum in *-nt-* exeuntium, quem usum persecutus est Buecheler, Kl. Schr. III p. 291 "Amantissimo suis".

V. 93 *victor amet, victor potiatur in umbra* absolutus usus verbi *potiundi* notandus est i. q. "concupere" valentis. quem usum paene obscaenum ut Elegiis ascribamus, suadent loci Ovid., Ars I 711 "ut potiare roga, tantum cupit illa rogari" et Terent., Haut. 322 "vis amare, vis potiri". aliis tamen locis Terentius, Eun. 320 et 362 latiore sensu absolutum usum de puella in potestatem amantis redigenda adhibet. Cicero, Cato 39 de voluptatibus corporis locutus *potiri* absolute dixit, cum Ad Att. VII 12, 3 "iis me dem, qui tenent qui potiuntur?" i. q. "rerum potiri" absolutus usus valeat.

De epilogo primae elegiae v. 103—106

V. 103 ss. Caesar amicus erat; poterat vixisse solute,
 quod iam Caesar idem, quod cupiebat erat.
 indulsit merito, non est temerarius ille:
 (pr)inci(p)us Augusto iudice dignus erat.

His quattuor versibus revocat poeta ad unum sensum capitalem argumenta omnia, quae ethologia Maecenatis v. 13—38, factis bellicis eius v. 39—48, declamatione de desidia victoris v. 49—102 contulit ad defendendum defunctum ab opprobrio vitae effeminatae. etemim diversae haec partes laudationis defuncti omnes nituntur argumento praecipuo ubique apparente, quo Maecenas ut amicus Caesaris liber a vituperatione malevolorum futurus utique sit. huic sensui generali primae elegiae satisfaciunt versus 103—106, quos pro epilogo huius elegiae habeo, incipiunt illi quidem a verbis *Caesar amicus erat*, desinunt in sententiam, qua defunctus *Augusto iudice*, i. e. non *temerario* iudice, nec humano, sed divino, *dignus* fuerit amicitia *principis* rem publicam tenentis. lepide igitur et quidem convenienter cultui imperatorio tunc ingruenti personam Caesaris Augusti tamquam in duas personas poeta dividit, alteram caelestem iudicis summi, alteram principis, hominis inter homines. unde codices, ut qui ipsi varietate lectionum *uicimus*, *uincimus*, *uicinus* corruptelam prodant, correxi *princeps* scripto. nimirum exclamatio *vicimus* editoribus accepta ratione nulla conecitur neque cum antecedentibus neque cum consequentibus. quale exclamandi genus cum causa fit apud Propertium I 8. 28 “*vicimus! assiduas non tulit illa preces*”. error scribae in Elegiarum archetypo inde natus est, quia omnis sermo inde a versu 93 in vincentium beatitudine versatur. atque adeo praeter exclamationem illam offendit, si tradita servantur, absolutus usus adiectivi *dignus*. quamquam enim apud Latinos passim *dignus* absolute ponitur, tamen Th. Boegel, Thes. I. L. V 1 p. 1148, 32 scite monuit, hunc usum ubique fere sic occurrere, ut facile subaudiatur, qua re aliquis dignus sit. seiungitur igitur servato *vicimus* a reliquis locis absoluti usus locus Elegiarum. deinde de *dignus* adiectivo cum genetivo structo cf. Vitr. II pr. 2 *formas . . . dignas Tuae claritatis* (i. e. Alexandri Magni), aliosque locos Thes. ibid. p. 1147, 33 ss. congestos. forma genetivi in *-us* pro *-is* exeuntis, quam propter traditam lectionem *uincimus* proxime a *princeps* absentem tuli, in titulis vel Augusteae aetatis invenitur.

optimo igitur iure tribuitur, si minus poetae ipsi, at scribis poetae aequalibus, de qua forma egi Rhein. Mus. 93 (1949) p. 96. — V. 104 locutionem *idem esse quod* exemplis I. B. Hofmann, Thes. l. L. VII 1 p. 196, 52 illustravit.

II

Secunda elegia de spiritu prorogando et facultate
iuvenescendi v. 107—144

V. 107 ss. Argo saxa pavens postquam Scyllaea relegit
Cyaneosque metus iam religanda ratis,
viscera disiecti mutaverat arietis agno
Aeetis sucis omniperita suis.
his te, Maecenas, iuvenescere posse decebat,
haec utinam nobis Colchidos herba foret.

Versibus 107—144 propriam elegiam offerri probatur argumento proprio de vitalitate iuvenili in senectute retinenda, quae Maecenatem maxime deceat. cui argumento nil est cum versibus 13—106 discincti cultum defendentibus, nec vero cum versibus 145—178 postrema verba moribundi enarrantibus. atque item ut argumenti proprietate etiam arte scriptoris demonstratur, novam eclogam inde a v. 107 exordium sumere. nam cum a versu 106 *principus Augusto iudice dignus erat* subito transeat ad exemplum mythologicum Medae, Peliam senem in iuventam se reducturam esse promittentis, nobis succurrit, ab exemplo mythologico carmen incipere sollempniter poetas elegiacos aevi Augustei. quorum Propertius et Ovidius sic fecerunt: Prop. I 3, 1 “Qualis Thesea iacuit cedente carina”, II 14, 1 “Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est”, II 20, 1 “Quid fles abducta gravius Briseide”, III 2, 1 “Orphea detinuisse feras”, Ovid., Am. I 10, 1 “Qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis”, III 9, 1 “Memnona si mater, mater ploravit Achillem”. corpusculum igitur trium libellorum pro libamine gestans pompam funeris iit Elegiarum auctor, qui similia sensit de numero ternario atque Propertius II 13, 25 “sat mea sit magna, si tres sint pompa libelli”. quo loco Propertiano libellorum, i. e. elegiarum numerum, de more rituque priscae religionis terminari supra p. 108 commonui.

Secundae elegiae pars longe maxima v. 107—140 exemplis sentem efficitur. quorum quattuor facultatem iuvenescendi illustant, v. 107 ss. Medae agnum pulcherrimum ex

visceribus arietis vetuli concoquentis, v. 113 s. naturae rerum tempore verno redivivae, v. 115 s. cervorum cornua sine morte redintegantium, v. 129 ss. Hesperii stellae renatae in Lucifero. accedunt generis diversi exempla tria mixtim cum facultate iuvenescendi posita, quae annis non fractam vitalitatem celebrant v. 119 ss. Tithoni et v. 137 ss. Nestoris, hominum, v. 117 s. cornicum animalium. quae exempla septem omnia eo animo poeta protulit, ut Maecenatem, quae fuerit ingenii eius vivacitas, dignum fuisse vita longissima probaret. quae vota cum irrita fuerint, adicit pro clausula elegiae votum quod ratum sit, formulam sollemnem epitaphiorum Latinorum v. 141 *Tellus, levis ossa teneto*, simul sepulcri curas ferales cordi fore amicis v. 143 s. pollicitus.

Qua cupidine lucis Maecenas sibi aetatem annosam optaverit, supra p. 98 in medium tuli protracto exemplo avi patris epitheton *annosi* in Elegiis nacti. atque etiam versus 38 *vivitur ingenio, cetera mortis erunt* p. 109 tractatus indicat, Maecenatem ut hominem Epicureum parvi facientem dogma de immortalitate animae, spem omnem in ingenio per saecula apud posteros duraturo posuisse. inde ratio in proclivi est, qua ratione ex persona Maecenatis argumentum peculiare elegiae alterius poeta traxerit. nec tantum Nestores in mente habuisse Maecenas videtur, sed vereor ne etiam fabulosa illa doctrina de facultate iuvenescendi in somniis eius fuerit.

Scriptio popularis Epicureorum de pretio vitae

Nihilominus id quoque reputandum erit, utrum varia illa exempla iuvenescendi alteram eclogam exornantia suo Marte poeta coacervaverit, an fontem adhibuerit in subsidium laboris sui. diatriben Epicuream de morte scriptorem in manus sumpsisse opinor, memorem vel aliorum tractatum Epicureorum vel carminis Varii *De morte* iam supra p. 110 in censum vocati. famosum Epicuri dogma de anima cum carne intereunte horti philosophos, spe vitae post mortem futurae destitutos, desiderio prolongandae vitae in terris non incendere non potuit. unde sermones de pretio vitae ex schola Epicurea provenisse suspicor, quorum auctores tam salubria protulerint quam prolapsi sint in paradoxa. quicumque philosophi populares pretium vitae dixerunt, ii animos heroicis restrinxerunt superbientes cum Achille Homérico Il. IX 410 in gloria redimenda morte praematura. quantopere in diatribis philosophi-

cis de pretio vitae dudum apud Graecos actum sit, docent dialogorum pseudoplatonicorum scriptores Alcib. I p. 105 A et Alcib. II p. 141 C et 142 A in diversum de ea re disputantes. praeterea ratio Epicurea spiritus prorogandi salubriter restitit Stoicorum contagioni in mortem voluntariam ruentium. quam acriter in quadam parte philosophiae popularis Romanae Stoicis vitam iusto facilius in miseris contemnentibus repugnatum sit, discitur ex Martiale poeta ab Epicuro potius stante quam a Zenone, I 8, 5 "nolo virum facili redimit qui sanguine famam" et XI 56,15 "rebus in angustis facile est contemnere vitam; fortiter ille facit, qui miser esse potest".

Iam vero quod in paradoxa quoque Epicureos incidisse dixi bonum vitae defendentes, duo quidem dogmata oculis maxime incurrunt. quorum paradoxorum alterius Epicurus ipse noxius est, qui sapientem beatum vocavit non modo caecatum, verum etiam inclusum in Phalaridis tauro aut in cruce sedentem; cf. Usener, Epicurea p. 96 et 338. atque hoc Epicuri placitum multi veterum stupuerunt ut Cicero et Seneca, dubii unde explicarent; Maecenas autem, quo nemo melius, rationem veram paradoxi illius aperuit carminis p. 98 exscripti verbo, quo in cruce acuta sedentem consolatur: "vita dum superest, bene est". alterum vero paradoxon, in quod vitae prolongandae avidi Epicurei elapsi sint, facultatem iuvenescendi habeo. quae quidem doctrina, etiamsi a magistri ipsius fragmentis et testimoniis absit, tamen recentioribus Epicureis facile tribuitur. ne exemplum quidem monstruosum Medae disiecta membra recoquentis indignum fuisse duco sermonibus philosophorum; tam alte haesit miraculum recoquendi in variis fabulis antiquis; cf. O. Gruppe, Griech. Mythologie (1906) p. 1908, 4 „Kochen zum Zwecke der Verjüngung“. atque adeo iam Plato, Euthyd. p. 285 C exemplo Medae utitur, cum hominem novum, modo optimum recoquendo renasci desideret. reliqua deinceps exempla, quibus in Elegiis facultas iuvenescendi illustratur, plane conveniunt diatribis philosophorum res severas tractantium. quos in natura animalium versari decuit de cervis loquentes cornua novantibus, cui exemplo cervorum in Elegiis obvio aggregantur apud Ovidium, Ars III 77 angues vetustatem cum pelle exuentes. item iucundum sane fuit philosophis de Lucifero et Hespero agere scientiam astrologicam in medium prolaturis. ad postremum natura rerum post brumam renata in mysteria apud gentes varias

abierat, ita ut diatribarum scriptoribus eruditionem speciosam in hoc argumento ostentare esset.

Praeterea peculiarem locum Epicureae philosophiae ecloga altera Elegiarum prodi, egregie firmatur comparatis Elegiis cum Peripateticorum loco de senectute nobilissimo. qui locus quamquam exemplis hic illic cum ecloga Maecenatiana conspirat, tamen rationem moralem plane diversam sequitur. nemo nescit vitam longissimam desiderari aequae atque in ecloga Maecenatiana etiam a Peripateticis, quorum Theophrastus referente Cicerone, Tusc. III 69 "moriens accusasse naturam dicitur, quod . . . hominibus . . . tam exiguum vitam dedisset". unde exempla Tithoni et Nestoris Elegiis cum Cicerone, Cat. 3 et 31 communia sunt, atque etiam cervi et cornices Elegiarum in variis veterum dialogis ut Cic., Tusc. III 69 locum sibi vindicant. quorum animalium aetates fabulosas complectitur Plinius, Nat. hist. VII 153 "Hesiodus . . . cornici novem nostras attribuit aetates, quadruplum eius cervis, id triplicatum corvis". verum vero in eo discrepant Elegiae maxime a loco Peripateticorum de senectute ab A. Dyroff, *Der Peripatos über das Greisenalter* (1939) excusso, quod apud illos propria senectutis bona defenduntur, quae certe ex parte absunt ab aetate iuvenili. quin id quoque accidit, ut quaedam iuventae bona, voluptates corporis, apud Cic., Cat. 39 pro "peste capitali" habeantur. e contrario in Elegiis senectus ea una ratione in votis est, ut vita prorogata voluptates iuventutis prorogentur. vel Tithonus ubi describitur v. 119 ss., negleguntur fere topica senectae decrepitae sollemniter in fabulis huic attributa, sed splendidus iuventute inducitur Tithonus bigis Aurorae aggregatus, similiter ut in vasis antiquis quibusdam fingitur; cf. *Realenc.* 2. Reihe VI 1514, 30 ss. et 1517, 52 ss. in Elegiis pro senectute studiis et eruditioni dedita, qualem senectutem esse Theophrastus apud Cic., Tusc. III 69 voluit, candor iuventutis ab annoso conservatus celebratur. huc facit iam prooemii totius corpusculi v. 3 "ut iuvenis deflendus enim tam candidus", rursusque huc faciunt eclogae alterius ad exitum properantis versus 135 s. "hoc pretium candoris habes . . . te sumus obliti decubuisse senem". nec piget ad ipsius Maecenatis dictum de vi vini revocare in *Symposio* cum Vergilio et Horatio habito obvium frg. 12 p. 40 L. "pulciora facit omnia et dulcis iuventae reducit bona".

Qui praeter Elegias in M. senectutem elegis tractavit inter poetas Latinos, scriptor serus Maximilianus, P. L. M. V

p. 316 ss. Baehrens, nequaquam utilis fit ad rationem Elegiae alterius illustrandam, quam Epicuream dixi. nimirum Maximianus, cum pro nervosa senecta et facultate iuvenescendi Elegiarum exaggerat talia I 4 "mors est iam requies, vivere poena mihi", memores nos facit Hegesiae philosophi, qui *πεισιθάνατος* vocatur. qui quidem philosophus satietate libidinum ex voluptatis assertore mortis suasor factus est. quid multa? quas monumenta haud spernenda vitae Maecenatianae aetatisque Augusteae esse dudum cognovimus Elegias, eadem singulare quoddam lucrum afferunt ad partem reconditiorem philosophiae moralis Epicureae retegendam.

Critica in elegiam alteram v. 107—144

V. 115 s. vivacesque magis cervos decet esse (no)v(a)ntes,
si quorum in torva cornua fronte rigent?

Novantes verbum Augusteis adamatum restitui spreto quod traditur *paventes* a somnolento scriba positum; *pavidus* sive *timidus* epitheta trita cervorum esse ex Thes. l. L. III 953, 59 discitur. textu tradito servato ex enuntiato condicionali *si . . . cornua . . . rigent* nulla causa subvenit, cur cervi in sententia prima *vivaces* dicantur. itaque pro *paventes* desideratur participium sensu idoneo instructum, a quo *cornua* pendeat subaudiendum in prima sententia, cum in enuntiato secundario per zeugma positum idem vocabulum pro subiecto ad *rigent* accedat. quod ad sensum verbi *rigent* attinet, ubi sanguine et suco destituta cornua riguerunt, quotannis a cervis iaciuntur.

V. 137 s. ter Pylum flevere sui, ter Nestora canum,
dicebantque tamen non satis esse senem.

Anaphoram voculae *ter* ut arte carentem respuerunt editores Riese et Baehrens *et* pro priore *ter* scribentes, Heinsium secuti; Vollmer non explicatam figuram toleravit tamquam spumam inanem rhetoris. at iustam rationem anaphorae propono adhuc latentem. poeta enim *Pylum* non epitheti loco ad *Nestora* rettulit, sed item ut *Nestora* pro nomine proprio et substantivo posuit. sic pro substantivo *Pylus* Augustei saepius adhibent velut Ovid., Met. VIII 365 s. *forsitan et Pylus citra Troiana perisset tempora*. XII 537; 542. nimirum Nestor inter Pylus *Nestor* vocabatur, in expeditionibus a comitibus oriundis ex aliis regionibus Graeciae *Pylus*. tribus autem ex-

peditionibus per tria saecula sese excipientibus Nestor interfuit. Lapithis adversus Centauros profecturis *Pylius* adfuit, in venatione Calydonia *Pylius* Meleagro, in bello Troiamo Atridis *Pylius*. hinc igitur: *ter Pylium flevit sui*. denique qua ratione poeta *ter Nestora canum* dixerit, ex Il. I 250 ss. intellegitur. postquam cum eo, quo natus erat, saeculo consenuit, subolem eius saeculi, quin huic succedentem subolem senescere vidit. fleverunt autem *sui* Nestora non tantum regem ipsorum, sed etiam heroa inter heroes, qui nomen Pylii tam inter domesticos quam inter externos gloria auxit.

Ex Elegiis restituuntur sacra Locrorum, quibus Hesperus colebatur ex nexibus ignis solutus a Venere

V. 129 ss. quaesivere chori iuvenem sic Hesperon illum,
 quem nexum medio solvit in igne Venus;
 quem nunc infl(e)scis placida sub nocte nitentem
 Luciferum contra currere cernis equis.

Locus ab Holland, Wiener Studien XLV p. 85 ss. interpretatione iniquissima temptatus, ab editoribus coniecturis variis inquinatus est. verum nusquam a codicibus recedendum est, praeter quod ex *influscis* lectione insana libri Vossiani a littera mutata *inflexis* i. e. *inflexis* feci; scriptio *sc* pro *x* Latinis usitata est, cf. *ascilla* pro *axilla*. Hesperus in Luciferum mutatus inter exempla iuvenescendi ratione probabili non ponitur, nisi si sidus in occidente cadens, in oriente ascensurum equorum cursum inflexerit. itaque v. 132 *equis* cum *inflexis* v. 131 iungitur. quamquam autem apud veteres Hesperus plerumque equo vehitur, tamen apud Augusteos Tibull. I 9, 62 et Ovid., Am. I 6, 65 curru quoque utitur. in Elegiis ut Sol v. 56 ita Aurora v. 125 et Hesperus suo quisque curru vehuntur. verbum *inflexendi* de sideribus cursus commutantis apud Cic., Nat. deor. II 49 occurrit.

Quattuor autem versuum, quibus exemplum iuvenescendi ex Hespero et Lucifero petitum poeta tractavit, binos Hespero tribuit, binos Lucifero. quorum versuum posteriores duo ephrasin Luciferi offerunt, qui versus, *inflexis* reposito, in ceteris facile expediuntur. ubi quod *placida sub nocte nitentem* poeta Luciferum dixit, *placida sub nocte* i. q. serena sub nocte, quam dies excepturus sit, valet; cf. Sil. XII 665 ss. *laeta serenati facies aperitur Olympi . . . nec placido commota tonitrua caelo*. Plin., Epist. V 6, 14 *sereno et placido die*. sic coniec-

turae Vollmeri *placidus* et Baehrensii *placide* succidunt. deinde *nitens* ab Holland p. 87 ad Hesperon tractum, sollemne epitheton Luciferi est; cf. Tibull. I 3, 93 *nitentem Luciferum*. Ov., Am. II 11, 55 *nitidissimus* . . . *Lucifer*. denique *contra* in sententia *Luciferum contra currere cernis* adverbium habes absoluto usu positum de caeli regione matutina, qua Lucifer visitur. cui regioni opponuntur plagae mundi occidentales; itaque dictio v. 130 *medio* . . . *in igne* ad vespertinam regionem caeli in occasu solis flammæam spectat, ut *contra* quo referatur habeat.

Iam vero versus 129 s. de Hespero, Luciferi ephrasin antecedentes, non acquiescunt in descriptione Hesperis, sed Locrica sacra causamque sacrorum, fabulam Locricam tangunt. quae fabula qualis fuerit, ut noscatur, comparanda ea sunt, quae ex stricta interpretatione Elegiarum efficiuntur, cum aliis testimoniis antiquis de Hespero collectis et castigatis ab A. Rehm, Realenc. VIII 1250 ss. originem repetunt quaecumque de Hespero apud Graecos narrantur, a cultu sideris apud Locros circa Oetam montem obvio, cuius cultus Servius, Verg. buc. 8, 30 testis est. atque adeo Locri uni ex Graecis nummos imagine Hesperis signatos cudebant. unde in Elegiis quod v. 129 *Locri* pro *chori* Buecheler proposuit, hanc coniecturam si abnuis, tamen Locrorum chori intellegendi sunt. vetustissima autem memoria fabulae de Hespero apud Hesiodum, Theog. 988 ss. occurrit, etsi apud eum de Phaethonte, Cephali filio sermo est, fabula Locrica in Atticam translata; cf. Rehm l. l. p. 1251, 43 ss. et 1255, 1. at utique iam apud Hesiodum formosissimus adolescens a Venere raptus esse dicitur sideris nomen gerens; memoriaque rapti a Venere Hesperis duravit apud posteros velut Schol. Germ. Arat. p. 103 Breysig (Venus Hesperum) *ex apice (Oetae) rapuit et cum eo concubuit*. ubi equidem post *apice* litteras *ite* i. e. *Oetae* supplevi, quia diphthongus *oi* apud Graecos inde a saec. III p. Chr. in *u* abiit, apud Latinos *goerus*, *gyrus*, *girus* in codicibus mixtim scribitur. respui igitur Wilamowitzii coniecturam *ex Attice pro ex apice* propter Hesiodum scribentis, quam coniecturam iste apud C. Robert, Eratosth. Katast. p. 196, 7 protulit. causa autem, cur *Oetae* addiderim, apparet. nam de loco, ubi Hesperos adolescens de terra in caelum sublatus sit, tantum constat, catasterismon ex cacumine montis factum esse. Diodorus enim III 60, 3 de Hespero fabulam offert, qua in culmine Atlantis iuvenem tempestate procellosa abreptum et invisibilem fac-

tum esse memorat. quam Diodori fabulam etiamsi inventione doctorum scriptorum fucatam esse Rehm l. l. p. 1256, 39 ss. verissime monuit, tamen quae de cacumine montis dicuntur, ea egregie quadrant ad verba Schol. Germ. tradita *ex apice*. nec vero patior extergeri ortum naturalem fabulae, qua Hesperus, medio in igne nexus, a Venere solutus esse dicitur. nimirum in ipso apice montium fere fit, ut Veneris sidus proxime ad horizontem accedat, simul vero Sol montis a tergo descendens nubila tingat ruboribus flagrantissimis, hinc igitur explico dictionem Elegiarum: *quem nexum medio solvoit in igne Venus*.

Elegiae non raptum a Venere Hesperum, sed solum ex nexibus ignis dicunt differente fabula mirum quantum a Ganymede aquilae unguibus ad Iovem delato. deinde verba Elegiarum *nexum medio . . . in igne* adulescentem produunt de vita periclitantem. atque superbiae cuiusdam noxium Hesperum fuisse testes plerique volunt, quamvis varia et incerta proferentes, Servius, Verg. buc. 8, 30, Diodorus III 60, 3, Eratosthenes apud Hyginum, Astron. III 42. quae superbia cuius generis fuerit, choros decuit fari in sacris Locrensibus facinus adulescentis canentes, qui ad ignem caelestem accesserit paene alter Prometheus. hinc Elegiae: *quaesivere chori iuvenem sic Hesperon illum*.

III

Tertia elegia, postrema verba moribundi v. 145—178

V. 145 s. Sic est Maecenas fato veniente locutus,
frigidus et iam iam cum moriturus erat.

Novum argumentum aggreditur poeta v. 145 ss. ultima verba morientis inferens, postquam alterius eclogae argumentum iuvenescendi aetatisque annosae absolvit. formulam autem sepulcralem *Tellus, levis ossa teneto* proprio argumento secundae elegiae adiciens v. 141—144 totam elegiam alteram clausit. iam vero meminimus, Elegiarum textum versus omnium 178 in codicibus ad speciem unius carminis decurrentem Scaligerum in duas tantum eclogas divisisse, qui criticorum princeps nil nisi suprema verba morientis aliena esse ratus est a genere epicedii. itaque iam meum est, tripertitam naturam opusculi supra p. 123 s. indicatam etiam nunc a scrupulis defendere. atque adeo eodem iure equidem a versu 107 novam elegiam incipere iussi, quo Scaliger in versu 145 terminum posuit. nempe ne id quidem mihi disticha de annositate optanda pro

peculiari elegia habenti obici poterit, quod ante initium partis Scaligeranae formula sepulcralis occurrit, qua Ovidius, Am. III 9, 68 *et sit humus cineri non onerosa tuo* ultimum terminum epicedio Tibulli imposuit. immo ex hac re effici nequit, Elegiarum poetam finem epicedii illuc cadere voluisse eundemque verba moribundi extra topica epicedii tantum appendicis gratia adiecisse. revera enim remanet poeta ultima verba Maecenatis reddens in topicis epicediorum. vide modo, novissimum locum inter topica generis litterarum, quod genus epicedii fertur, defunctum occupare ex elysio superstitionibus solacia afferentem. qua de re luculenter egit Fr. Vollmer, Statii Silvae (1898) p. 317, qui topica omnia epicedii Romani in seriem integram redegit. sic etiam Epicedium Drusi v. 447—468 in sermonem desinit defuncti ex elysio loquentis matremque Liviam consolantis. iam vero insubidum sane erat, hominem Epicureum, Maecenatem, ex elysio superstites alloquentem facere. inde felicissima inventione Elegiarum poeta pro beata anima moribundum induxit consolatoria susurrantem. etiamsi autem in epigrammatis sepulcralibus titulorum et in elegis litterarum mortui iterum iterumque apud veteres, tam Graecos quam Romanos, loquentes inducuntur, tamen ultima verba moribundi in peculiarem elegiam apud nullum nisi poetam Elegiarum coeunt. ad summam igitur ars Augustea scriptoris apparet nondum devincta strictis legibus scholae rhetoricae ad modum epicediorum aetatis argenteae. qui scriptor corpusculum tripertitum respectis topicis epicedii condidit, simul tamen alteram eclogam proprio argumento iuvenescendi pro propriis votis Maecenatis exstruxit, denique tertia ecloga sollemnem locum mortui ex elysio loquentis in postrema verba moribundi deflexit.

In poeseos artem transfertur in Elegiis scriptura pedestris, qua ultima verba morientium apud Romanos primo saeculo aevi imperatorii libris in publicum prodeuntibus comprehendebantur. putes Maecenatem, qui tot partibus cultum vitae posteris praemonstravit, archegeten eius quoque consuetudinis fuisse, quae notissima est ex Senecae Verbis ultimis teste Tacito, Ann. XV 63 in vulgus editis. latius autem hunc morem patuisse, ex eodem Tacito cognoscitur de Petronii obitu XVI 19 et de Subrio Flavo tribuno militum XV 67 referente. nec vero id genus librorum ex exercitamentis rhetorum originem ducere, praesertim Senecae exemplo probatur, cuius ultima verba tamquam codicilli morales propter codicillos iuris sta-

bant, in usum superstitem una cum testamento a moribundo relictis.

Quocirca in Elegiarum ecloga tertia collecta postrema verba Maecenatis ab inventione nimia poetae immunia esse existimo. immo quae Lollius cum cliente communicaverat, ea reddidit ille quamvis inversa atque distichorum numeris suoque stilo accommodata. inter argumenta autem, quae fidem poetae asserant, deinceps hoc quoque habeo, quod morientem versantem facit in nullis rebus nisi in iis, quas animo volvisse excedentem de vita Maecenatem consentaneum per se est. versatur igitur in Drusi morte praematura, qui anno uno antecessum Maecenatis diem obiit, in discidio Terentiae uxoris, in pietate adversus Augustum, in votis pro filiis eiusdem, Caesaribus Gaio et Lucio, Liviaque marita. denique duobus dictis moribundo ascriptis versus Maecenas auctor ultimorum verborum maxime proditur. Augustum alloquens inducitur:

V. 159 ss. "hoc mihi contingat: iaceam tellure sub aequa,
nec tamen hoc ultra te doluisse velim.
sed meminisse velim. vivam sermonibus illic;
semper ero, semper si meminisse voles.
et decet et certe vivam tibi semper amore,
nec tibi qui moritur, desinit esse tuos."

Haec cum effatur Maecenas animam agens, hominem Epicureum profitetur nullam aeternitatem noscentem, nisi quae sermonibus et amore superstitem paratur. similiter Ovidius, Ex Pont. I 9, 8 *et extinctum vivere fingit amor*. contra quae sequitur sententia v. 165 s. *ipse ego quicquid ero cineres interque favillas, tunc quoque non potero non memor esse tui*, eam condono inventioni poetae, cf. p. 109.

Altero dicto Elegiae Maecenati sententiam tribuunt dignissimam prudentia hominis philosophantis, quamquam criticos in textu tradito offendentes acumen philosophantis praeferiit:

V. 155 s. "sed tamen hoc satis est: vixi te, Caesar, amico,
et morior," dixit, "dum moriorque, satis."

Quo loco verba *dum moriorque* post *et morior*, atque *satis* post *hoc satis est* primo obtutu abundare videntur. inde Holland. Wiener Studien XLV p. 233 tautologiae molestae poetam arcessivit. at assumo equidem in apodosin enuntiati secundarii *dum morior* sententiolam versus antecedentis *vixi*

te, Caesar, amico, quam velim ante satis i. e. satis (vixi) sub-
audias. quodsi ea ratione dictum moribundi struxeris dum
mорий, vixi te, Caesar, amico; satis vixi, praeter reiectum
 tautologiae crimen etiam traditum *satis* ab interpolatione Pi-
 thoei *sat est* defenditur. Maecenas non solum se intimum Cae-
 saris fuisse grato animo confitetur; immo usque ad mor-
 tem ipsam in amicitia eius permansisse gloriatur, certior
 factus vita longa in discrimine rerum Romanarum peracta,
 raram rem esse amicitiam inter potentes usque ad mortem
 durantem.

Bonnae

Ernestus Bickel

FREIHEIT UND GEBUNDENHEIT DES STAATSMANNES BEI THUKYDIDES

Die menschliche Natur entläßt sich in der Urgewalt ihrer Triebe und lebt sich in rücksichtsloser Pleonexie aus, soweit sie sich nicht irgendwie gehemmt findet. Sie wirkt im Individuum wie im größeren Verbands, und es liegt nicht an ihr, wenn sie sich im einen Falle weniger frei bewegt als im andern. Im Privatleben kann sie immerhin eingedämmt, aber auch nie ganz ausgeschaltet und je nach den Umständen selbst durch das Strafgesetz nicht abgeschreckt werden. Im Völkerleben hingegen, wo das Höchste zu gewinnen und zu verlieren ist, zeigt sich das Naturhafte umso mächtiger, als es hier durch keine übergeordnete Instanz in Schranken gehalten wird: trotz schönklingender Worte, mit denen der Starke sich einen Anschein gibt oder der Schwache sich zu salvieren sucht, gilt nicht Recht und Billigkeit, nicht Pietät und Solidaritätsgefühl, nicht Frömmigkeit und Mitleid, sondern allein das Prinzip des Eigennutzes, welche Farben auch immer es annehmen mag, und in einer gewissen Korrelation dazu das Recht des Stärkeren, das von jeher bestanden hat und ewig weiter bestehen wird. Kein Gott, der dieses Spiel animalischer Urnatur lenkte und ihm einen Sinn gäbe, kein Mensch, der der unbändigen Kräfte Herr zu werden vermöchte. Der Politiker hat mit der Leidenschaft und der Unbeständigkeit der Menge zu kämpfen, er sieht sich dem Zwange der durch die bisherige Entwicklung